

27

sumptibus fecit, nec Pontem hunc, ejusdem viæ partem, suâ pecuniâ ædificasset. Quid igitur de hoc Flaminio, imo de hac Inscriptione, statuendum sit, prorsus (*) ignoro. Illud tamen statuo, Pontem hunc, si superiores partes excipias, quæ sæpius instauratæ fuerunt, inter præclariora Romanorum opera collocandum, si admirabilis absidis symmetria, & venustas spectetur. Porro arcu longe antiquior est Pons, quem integrum ex Illyrico lapide (**) olim fuisse, apparet ex tribus, quæ supersunt, pilis, & alterâ, quæ in medio fluminis alveo, quando aquæ decrefcunt, conspicitur. Ingentes vero lapides, ex quibus vetustiores arcus constabant, partim in flumine delitescunt, partim circa pilas exstant; reliqui Civium usibus cesserunt, municipali lege neglectâ, quæ habetur Statutor. lib. III. Rub. 99. pag. 62. sub titulo. *Quod nullus accipiat de Lapidibus Pontis Folea.*

X I I I.

VIr doctissimus Sebastianus Paullius Inscriptionem hanc mecum primus communicavit: Nuper enim, quum Fani sacras Conciones habiturus moraretur, insignem Camaldulensium Eremum, vulgo *Monte Giovio* dictam fortuito invisens, eam ante Cœnobii fores offendit, & paucos ante dies reperi tam fuisse edoctus, exemplar illico ad me misit, probe noscens, Pisaurensis regionis terminum eo lapide contineri. Quanto gaudio affectus tunc fuerim, non est quod prædicem; existimabam enim certissimo marmoris testimonio, omnibus fidem me facturum, Pisaurensis agrum haud exiguâ laciniâ ampliorem olim fuisse. Verum quum diligentius de loco, ubi erutum fuit, inquirerem, patuit, nuper quidem effossum, sed in agro Pisaurensi ad Montem Barochium, in eorundem PP. Eremitarum prædio: inde ipsorum jussu ad Eremum advectum, ut eo jam non publicus, sed privatus Cœnobii ager quidam terminaretur.

Pisaurensis regionis fines ex libro Balbi Menforis graphice describit Frontinus de Coloniais. *Pisaurensis*, inquit, *ager finitur rivorum, riparum, Fluminum cursu, TERMINORUM fide,*
D 2
& pa-

(*) Satis probabilis occurrit conjectura, Inscriptionem neutiquam ad Pontem pertinere, sed fortuito ibidem asportatam sententiæ illi causam dedisse, qua Flaminii opus esse Pontem nostrum volumus.

(**) Nos marmo d' Istria appellamus.